

Folia hastata, dentata. *Globuli florales* sessiles, laterales et terminales, per maturitatem rubri, succulenti, fragis similes. *Styli calyci* concolores.
Baccae edules, saporis subdulcis.
Succus rubrum dat colorem, tamen inconstantem.

Classis II.

D I A N D R I A.

a. Monogynia.

IASMINVM.

Cor. 5-fida. *Bacca* dicoeca. *Sem.* arillata. *Antherae* intra tubum.

1. **IASMINVM** (*officinale*) foliis oppositis, pinnatis: foliolis distinctis. *L.*

Iasminum vulgatius flore albo. *C. B.*

Iasminum flore albo. *TIT.*

Aedler *Jasmin.* Gemeiner, weißer oder wohlriechender *Jasmin.* *Gelsemin.*

Patria. *India orientalis,* *Heluetia.*

Fl. a *Julio* ad *Septembrem.* †

Foliolum terminale saepius lanceolatum longius.

Elegans florum est candor, gratissimusque odor.

Dudaim *Hebraeorum* esse creditur.

Odorifera pars adeo est volatilis, ut destillatione nec cum aqua, nec vini spiritu illa communicetur.

Iasmini oleum, quod solummodo pro odoramentis infervit, infusione florum *Iasmini* cum *gossypio* oleo *Been* imbuto et subsequenti expressione paratur.

Omnes fere huius generis species frutices sunt, quorum semina apud nos non maurant. Per adnatos circa radicem surculos propagantur, et hybernaculorum tutamine apud nos indigent.

2. **IAS-**